

I. N. J.

De

THEOLOGIÆ NATURA,

Ad decretum Venerandæ Facultatis
Theologicæ,

M O D E R A T O R E

Plurimum Reverendo, amplissimo ac Pre-
clarissimo

DN. ABRAHAMO THAU-
VONICo, S. S. Theol. Docto-
RE & Professore ord: p. t. Ma-
gnifico RECTORE,


*Boni ominis causa, ante introductionem
suam disputabit*

PETRUS Hång Hels.

In auditorio majore die 9. Decemb.
Anno 1665.

A B O Æ,

Excudit PETRUS HANSONIUS.



De
THEOLOGIÆ NATURÆ

i.

Dari Theologiam probat cum re^o
velatio divina, tum consensus os-
mnum, qui vel ipsi ex interna ratione
existentiam ejus possunt sentire, aut
certe inde colligere, quod passim in-
veniantur, qui dicuntur Theologi.

2. Denominationem accipit à Deo,
quam admittit ratione & objecti & cau-
ſe: & quanquam juxta derivationem
jure posterior videatur prævalere:
potior tamē est altera, longā conve-
tudine ac usu ad minimum eam legi-
timāte, si non probante ac vindicāte.

3. Varia induit significata, quo-
rum quædam vel admodum impro-
pria, vel justo strictiora sunt: su-
munturq; omnis vel ex subjecto, obje-
cto, fine, modo, aut certe connotato alio.

4. Nobis est habitus practicus ex
divina revelationis gratia collatus, ut ejus
beneficio lapsos instituamus de iis, quibus
ex ordinatione divina p̄ducendi sunt ad
vitam eternam.

5. Excluditur hic theologia substantialis infinita, quæ est in Deo Matt. ii: 27. habitualis & congenita qualis est in angelis, vel erat in homine ante lapsum; & quæ extraordino modo, saepius olim per infusionem, erat collata: Act. 2: 17. intelligitur tantum ea, quæ finita est, ordinaria, per humanam industriam accessoria, & ita propria ac adequata, ut neque omittenda docetur, neque docenda intermitat 2. Tim. 3.17.

6. Hæc neque per doctrinam, neque disciplinam, neque per agnitionem aut revelationem veritatis, commode definitur; sed omnium commodissime per habitum: non enim ut fit in primis illis, nudam relationem unice attendit: ipsa vero agnitionem veritatis parit; sicut revelationi debet suum ortum: quia itaque per sua media, crebrà interveniente institutione per partes adaugetur, tenduntque omnes partes ad actus; habitus vulgaris naturam per hæc, si non constituere, certe expri-

mere

mere videtur Heb. 5:14. quamquam itaq; vocetur ἐπίγνωσις. I. Cor. 1:9. σοφία I. Cor. 2:7. & per γνῶσιν describatur Joh. 17:3. non sunt tamen illa prædicata genericā: sed quæ Theologiam tantum partialiter vel exprimunt vel exornant.

7. Sed hic ante omnia notandum est, non vulgaris indolis habitum eam esse; quippe toto genere differt à quovis habitu naturali.

8. Primo habet aliam causam efficiēt, quam habet ullus habitus naturalis: etenim hi omnes quotquot fuerint, dependent ex donis in natura residuis post lapsū, quæ quamquam omnia gratiam creationis agnoscant causam efficientem, ipsa tamen multum à se invicem distinguuntur, non tantum ratione graduum, ac ex iis fluentis majoris perfectionis aut imperfectionis; sed & quod Deus ex eadem gratia ex mero beneplacito, potest quandoq; hæc taliaq; dona huic largiri Exod. 31:3. 4. qui-

bus qualibusq; non exornat illum;
Sed vero *causa efficiens Theologiae* est gra-
zia *redemptionis* per Christum nobis
data, quæ omnibus quidem homini-
bus patet ac debetur; sed tamen
hunc effectum Theologiam, in o-
mnibus non producit nec parit, quod
ita ministerialiter considerata (est
enim conditio ejus transitiva) non
est suo subjecto ad salutem necessa-
ria, ut nunc non dicam paucos ei-
dem comparandæ studere, & vicissim
qui accedunt, non omnes æque esse
felices, quod donis naturalibus aliis,
ac subsidiis exterioribus, ad eam pa-
randam, haud commode adjuventur.

1. Timoth. 1: 12. 4: 12. 14. 15.

9. *Est igitur Deus causa efficiens The-
ologiae*, sed non sub communi ratio-
ne, ut est generis nostri conditor
ac conservator; verum ut per gra-
tiam à Christo procuratam, reve-
lat nobis suum verbum, per quod
possimus de Deo multa feliciter cog-
noscere, ac de iisdem alios saluta-
riter

riter informare Joh. 1:18. Tit. 1:5.
seqq.

10. *Divina vero revelatio est causa efficiens propinquior, at ipsum revealatum verbum causa efficiens & instrumentalis*, quod per illud & non aliud medium, reddamur theologi: 2. Pet. 1: 19. 1. Thess. 1: 5, seq.

11. Rejicitur itaq; ex numero causarum efficientium ac principalium (1) *Ratio humana*, quæ ex se ipsa nihil salutare de Deo potest cognoscere, nèdum alios salutariter docere. Rom. 8: 7. 1. Cor. 2: 6. Gal. 5: 17. (2) *Colloquium angelicum*, quod nusquam ad tale remittamur, & ipsum nisi scriptura sacra confirmetur ac fulciatur, non tantum sit dubiæ & suspectæ fidei: verum etiam auscultatione prorsus indignum, præsertim si à verbo prædicato vel parum dissenserit. Gal. 1: 8.

12. (3.) *Nec traditiones constituunt Theologiam*, prout illæ verbo revelato proprie contradistinguuntur:

ita enim sunt excogitata humana,
& quæ non tantum neutram
sub indifferentia ad verbum re-
velatum possunt stare; sed & quæ
ipsi verbo moraliter labem affricant,
dum cum illo simili necessitate ac
dignitate commendantur: hæ quoq;
instituendos ac erudiendos multum
turbant vanorum additione; imo,
quandoq; ita divertunt, ut vel nun-
quam vel ægre admodum rursus in
viam reducantur. Matt. 15: 9. Coll.
2: 8. non igitur possunt esse Theolo-
giæ principium constituens: alia
est ratio traditionum quæ scriptis
Apostolicis ac Propheticis sunt affi-
nes, & illa quocunq; modo quoad
nos, explicant aut commendant: 2.
Thess. 2: 15.

13. (4.) Rejicitur quoq; *consensus*
patrum: hic præter moralem probabi-
litem efficit nihil; non tamen pror-
sus damnandus est, sed eatenus ac-
cipi endus, quatenus cum verbo re-
velato probe examinatus, animad-
verti-

vēritātē convenire: à Deo discen-
dum, quid de Deo est intelligendum
ac docendum. 1. Thess. 1: 5. seqq.
1. Cor. 1: 21. seqq.

14. Secundo differt subiecto à quovis
alio habitu. Hominem equidem o-
mnes afficiunt, ac si boni sunt, ex-
ornant; adeoq; sub hac materiali
consideratione, omnes cum Theolo-
gia convenient; at perficiunt cæte-
ri hominem in usus alios ac maxime
terrenos, nunquam vero in saluta-
res, nisi admodum remote, quatenus
ex observatione eorum, salus pot-
est quidem intendi ac quærī, sed
quæ tamen omnino pér alia media
est invenienda, vide quæ de vocatione
ad salutem indirecta, occasione notitiarum
innatarum, doceant nostri Theologi. Hæc
nostra Theologia usibus mere hu-
manis non ita destinatur, imo nec
eos unice intendit, quamquam quan-
doq; verbo revelato ita ferente, &
eos explicet erudite: semper vero
salutarem finem ministerialiter ha-
bet

bet propositum; afficit itaq; hominem, sed non qua hominem, verum ut ipse est beatus, & potest simul alios secum de vera beatitudine informare, Joh. 3: 11. 12.

15. *Subjectum igitur Theologiae est homo.* Heb. 2: 16. sed præcipue ut est beatitudinis doctor, cum ipsa sit habitus, usibus cum proprii subjecti destinatus, tum pro indole sua transitiva, aliorum commodo totus ferre accommodatus. Sin autem porro quæratur de *subjecto denominationis quo;* cum eruditioiem supponat, & institutionem ac doctrinam complectatur, certe erit illud primarium *mens humana:* quippe quæ sola, postquam ipsa per efficaciam S. Sti in verbo est illuminata, potest divina cognoscere, ac de iisdem alios instituere; ut etiam hac ratione distinguantur à multis habitibus naturalibus, qui vel mentem non attingunt, vel si attingunt, non tamen æquæ atque hæc propter alios illam perficiunt

&

& facilitant: juvatq; hic distinguere
inter actum ex habitu dependentem, &
illius fructum, affirmareq; Theologiam,
ad modum aliorum habituum subjectum
suum prima perficere, etsi de fructu pro-
missue participant alii; Matt. 13: 52.

16. Tertio differt objecto (1.) tra-
stationis: quidvis aliud possunt cœte-
ri habitus considerare: hæc vero so-
la occupata est circa religionem, ac-
ceptam in tota sua amplitudine. Ob-
jectum itaq; tractationis est Deus & di-
vinæ res aliae, imo status & conditio no-
stra, ut Deo rursus possimus adjungi. Quic-
quid igitur est veræ religionis, id
etiam est hujus nostri habitus, qui ve-
ram religionem totaliter tractat.

17. (2.) operationis; cæteri homi-
nem respiciunt ut elevandum ex con-
ditione communi & deficiente, (ni-
hil curant qua ratione in eam incidi-
mus) in sortem aliquanto meliorem,
ut quæ ante non habuit nec potuit, mu-
tata conditione feliciter, nunc habe-
re ac posse dicatur, omnia secundum
eam

eam perfectionem, quam industria &
adjumenta alia interna & externa, fece-
runt: haec vero Theologia respicit homi-
nem ut elevandum ex lapsu, in quem
per peccatum (ita illa distincte cau-
sam investigat) est præcipitatus, ac re-
ducendum quantum potest, ad felicita-
tem unde excidit, quo illius felicitatis
fructu, quamquam nunc alio modo
obtinendo, felix potiatur. Luc: 13: 24.

18. *Subiectum itaq; operationis est homo*,
consideratus in omnibus statibus, in
quibus vel nunc in terris existit, vel
de hinc alicubi existere potest: ade-
oq; includitur hic status corruptionis
& restitutionis, quiq; eos excipit vel
damnationis vel glorificationis, quod
per eos & ad eos, conditio humana
volvatur.

19. *Quarto differt fine*: equidem
possunt omnes convenire fine ultimo,
qui est gloria Dei: nam ut ad illam o-
mnia sunt reducenda, prov. 16. vers.
4. 1. Cor. 10: 3; sic in specie Theolo-
gia eidem quam maxime inservit.

Joh.

Joh. 17: 4. 1. Cor. 1: 31. Differunt vero
fine cum interno, qui est ducere ad salutem;
tum externo, qui est fides; quod ad hos fi-
nes Theologiæ cœcutiant habitus alii.

20. Quare est Theologiæ finis ultio-
ritus gloria Dei: externus autem fides sal-
vifica: & internus ad fidem ac salutem
perducere, cum illis omnibus quæ huic
quocunq; modo vel negative, vel po-
sitive, faciunt.

Πορίσ μετά.

I. Theologia est habitus practicus: patet
id (1) ex objecto tractationis. Tractat
Theologia res sacras, & omnia quæ
sunt veræ religionis; ut igitur ipsa reli-
gio consistit in praxi, sic quoq; erit Theo-
logia habitus practicus, quod religio-
nem pertractet: unde et si credenda
multa hic occurrant; non tamen ea
cognoscuntur ideo, ut in istorum cog-
nitione subsistatur, sed cognoscun-
tur practice, hoc est, ut vel ipsa sint
 $\sigma \tau \alpha \xi \epsilon \sigma$ objecta, vel ut $\gamma \nu \omega \sigma \tau \iota \delta$ eo-
rum ad aliquam $\sigma \tau \alpha \xi \nu$ referatur. (2)
Ex objecto operationis: tale est homo pec-

cator, qua animam ac corpus bean-
dus: sed vero hæc beatitudo non ab-
solvitur nuda rerum sacrarum con-
templatione, sed præterea praxi re-
quirit: quare præter theoriam inten-
det & illa praxi. *Practicus est Theologus*
dum docet; sic similiter est practicus, qui
~~doceatur~~: percipit enim nonnulla, quæ
immediate substernuntur praxi; scili-
cet quæ dicuntur agēda, & cetera quæ
dicuntur credenda dum adprehendit,
vere similiter agit, & non tantum cog-
noscit: nam ut à notitia & assensu distin-
guitur fiducia seu κατάληψις & adpres-
hensio, ita & fide adprehendere, actus est à
cognitione distinctus, scribit D.D. Calov.
de Theol. natura.

(3) *Fine*; sive hic interior intelliga-
tur, sive exterior. Hæc probatio fere
est manibus palpabilis, nos igitur illam
sub hac brevitate non prolixius exsci-
bimus,

II. *Theologia est habitus ex gratia reve-
lationis collatus: Ioh. 1. verj. 17. 18. ita ve-
ro dicitur ratione cause efficientis princi-
palis*

*palis & instrumentalis; atq; hoc modo sic =
ut ipsa fides & salus æterna, jure pos-
est dici ḥeos ḥoros: si autem modum
acquirendi respexeris, non tantum ne-
gative, dum homo collationem ejus
gradualem non impedit, sed & positi-
ve, dum eandem admittit ac per con-
cessa divinitus dona eidem operatur,
non incomode dicitur acquisitus, cum
ad eum parandum non parum profici-
at industria humana: i. Cor. 3: 4. seqq.*

III. Theologia tractat res divinas, nimirum
proprie, quamquam incidenter aliquando loquatur
quoq; de rebus naturalibus: in quibus similiter est
audienda, atq; dum loquitur de rebus divinis: 2. Pet.
1: 20. act. 2: 4. Joh. 16: 13:

IV. Theologia intendit restitutionem generis
humani: hoc πορευόμενη intelligitur ex iis, quæ
ante sunt dicta,

A F F E C T I O N E S.

I. Theologia est una unitate totali, ad modum
aliorum habituum ex multis partialibus composita.
quin & unum finem respicit, & omnia media ad il-
lum eundem dirigit.

II. Vera est ratione cum objecti, cum causa
efficientis, quæ fallere nescit, Tit 1: 2.

III. Necessaria propter intentum finem, cum ex
mandato Deut. 6: 7. prov. 4: 5' seqq. cum ex u-
tilitate si obsecundetur, & contra ex pœna igno-
rantiæ, aut malitiæ, si negligatur, 1. Thess. 1: 8.

DISTINCTIO.

Distinguitur Theologia in catecheticam seu rudiorem, & acroamaticam seu accuratiorem: quæ distinctio desumpta est ex modo docendi, limitato frequentius ex conditione auditorum, pro ut illi sunt vel rudiiores vel doctiores. 1. Cor. 3:2. Heb. 5:12 seqq. Pro variis finibus, qui recensentur 2. Tim 3:16. Rom. 15:4. varie subdistinguitur Acroamatica in Exegeticam quæ Sacra Biblia interpretatur. Didacticam quæ credenda & facienda proponit systematice, ostenditq; quomodo omnia debent ad finem practice reduci. Polemicam quæ per thesin & antithesin tractat controversias. Homileticam quæ observatur in sacris concionibus, & complectitur omnia, quæ fidelis verbi minister inter auditores potest secare. Asceticam quæ vel pietatem imperat juxta legem, vel ex Evangelio docet consolationem: hæc non multum differt ab homiletica: tantum videtur illa quoad objecta strictior esse, & non ita sicut illa, è suggestu exercenda. Casualem, quæ conscientiam velegerit vel emendat, quocunq; modo id fiat, sive tantum per vim luminis naturalis, ut lèpe apud simpliciores: sive per luminis & gratiæ simul, ut apud alios & fere doctiores. Patristicam quæ historiam Ecclesiasticam recenset. Et Scholaisticam, unde Sententiarii Summistæ, Canonistæ & Quodlibetarii: sed in ordine ad hos, est Theologiae nomen prorsus æquivocum, Atq; haec vice pro nostro instituto sufficit at hæc scripsisse.

Soli Deo Gloria.